

# Wincenty Urban

---

## De testimo*niis* vitam Nankeri Episcopi Wratislaviensis illustrantibus

---

Collectanea Theologica 26/2, 250-286

---

1955

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

WINCENTY URBAN

DE TESTIMONIIS VITAM NANKERI EPISCOPI  
WRATISLAVIENSIS ILLUSTRANTIBUS

In serie episcoporum, qui aetatis tempore „mediae“ nuncupato ecclesiam Wratislavensem regebant, multi inveniuntur eximii praesules, saluti tam ecclesiae quam populi bene prospicientes etiam in difficillimis regionis Silesiacae rebus. Quorum primo in loco numerandus est episcopus Nankerus, e gente Kołda cum insignibus „Oksza“ oriundus, qua sacerdos zelo Domini, qua praesul invicto animo praeditus, Polonus nobilitate egregius.

Uti Nankerus annis, in quibus praeerat ecclesiae Cracoviensi (1320—1326), virum magni ingenii studiique pastoralis se praestiterat, ita qua loci ordinarius Wratislaviam translatus (1326—1341) praecellenti animi pastoralis studio iura cum ecclesiae tum polonicae populationis indigenae defendere coepit adversus consilia conatusque Johannis de Luxemburg regis Bohemiae „germanisationem“ ut vocant foventis in ditionibus coronae Bohemicae subditis.

Vitae suae usque ad finem — obiit Nankerus Nissae anno 1341 die 8 mensis aprilis — episcopus perseverabat licet saepe haud sine periculis in mentis suae firmitate, cuius res gestas ecclesiasticae necnon rationis politicae scriptores tam germanicae quam linguae polonicae descripserunt: Heyne, Grünhagen, Fijałek, Silnicki et alii. Hac autem dissertatione non tam externa quam quasi interna eiusdem episcopi vita aspicienda sit: Nankerus enim mortuus est in quadam opinione sanctitatis, cuiusquidem memoria per saeculorum tempora conservata

quoad hanc illustrem personam inter praesules Wratislavienses augebatur; atque per hoc quidem opus testimonia cuiusdam sanctitatis episcopi eiusdemque merita honoresque historico modo in lucem sint edenda ex temporis peracti monumentis: quomodo enim veneratio Nankeri incepta ac aucta, processu beatificationis iampridem verisimiliter praeparato, perduraverat etiam saecula ditionis Prussicae in Silesia, quaenam inventienda sunt in iconographica artibus vel plastica quoad personam Nankeri, ac denique de noviter hodiernis diebus inchoando beatificationis processu.

#### 1. DE TESTIMONIIS AB OBITU NANKERI AD FINEM USQUE SAECULI XV-i REQUISITIS

Quod attinet testimonia vitam Nankeri concernentia, primo animadvertisse sunt adnotationes J o h a n n i s XXII. Pontificis Maximi ratione translationis eiusdem episcopi ex dioecesi Cracoviensi Wratislaviam in litteris diei 1 octobris anni 1326 factae, quibus papa ecclesiae Wratislaviensi talem pastorem daturum se esse declaravit, qualem merita virtutesque commendarent; omnibus enim diligenter consideratis episcopum Cracoviensem sibi fore eligendum, quia non modo ipsem solus sed etiam multi alii agnoscerent eiusdem merita et virtutes ei a Deo data<sup>1)</sup>. Spem fore papae Nankorum episcopum eadem diligentia ecclesiae utili esse praefuturum dioecesi Wratislaviensi ac usque modo Cracoviensi, istiusque cura ecclesiam non solum posse defendi ab difficultatibus, sed etiam deo opitulante augeri donis et divinis saecularibusque. Idem pontifex Nankero horas canonicas Cracoviensi modo in nova dioecesi orare permisit non ignorans pietatis eiusdem sinceritatem<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> A. T h e i n e r, *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae gentiumque finitimarum historiam illustrantia*. Romae 1860, I, 289 p. 290: „Consideratis tuarum multiplicibus virtutum meritis nobis et eisdem fratribus non innotis, quibus personam tuam dominus illustravit“.

<sup>2)</sup> T h e i n e r, *Vetera* I, 313: „Meruit tunc devotionis sinceritas“.

Janko z Czarnkowa (†1387), rerum scriptor Polonus illisque praenominatis temporibus propinquus, qui regnante Casimiro Magno († 1370) opus historicum scripserat, nonnullis annis post eiusdem obitum declaravit: episcopum Preczlaum de Pogarella successisse „mortuo Nankero episcopo Wratislaviensi per venenum cooperante Johanne coeco rege Bohemiae nequier perempto“<sup>3)</sup>. Atque Nankerum profudisse vitam causante regia ultione concludendum est: episcopali enim auctoritate eundem iura ecclesiae in regione Milicz et praesertim castri capitularis ibidem siti, quod rex vi eripuerat, defendantem affecisse illum excommunicatione ecclesiastica constat.

Sed animadvertisendum etiam esse videtur complura signa cuiusdam venerationis, quae illis temporibus afferebatur sancto Wenceslao martyri Bohemico († 28.9.935), inveniri pariter posse quoad personam et piam memoriam episcopi Nankeri. Nam scriptores hagiographici aequa enumerant inter sancti Wenceslai virtutes maxime eius castitatem, cultum erga ss. eucharistiam, venerationem beatae Virginis Mariae, ac denique misericordiam in pauperes orphanosque<sup>4)</sup>. Pia istius Sancti veneratione in slavicis regionibus meridiani necnon coeli orientalis, ac etiam in Germania celeriter crescente, cultus sancti Wenceslai eo facilius in dioecesim Wratislaviensem est translatus, quo Silesia tunc temporis ratione politica regno Bohemiae erat aggregata. Qua de causa dies festi huius Sancti — id est 28 septembries — in ordine duplicis maioris cum lectionibus historicis propriis celebrata est<sup>5)</sup>.

<sup>3)</sup> Kronika Janka z Czarnkowa, ed. J. Szlachtowski, Monumenta Poloniae Historica, ed. A. Bielowski. Lwów 1872. II, 666.

<sup>4)</sup> Cf. A. Nägele, *Der hl. Wenzel der Landespatron Böhmens*, Warnsdorf 1928; P. Parisch, *Das Jahr des Heiles*, Klosterneuburg 1932. III, 625.

<sup>5)</sup> Cultui sancti Wenceslai, cuius reliquiae iam anno 939 ex loco prioris sepulturae: Antiqua Boleslavia translatae erant Pragam, pér longum temporis spatium canonisationem formalem ac expressam constat defuisse. Precibus Matthei Sobek metropolitae Pragensis anno 1669 ad Sedem Apostolicam ratione istius cultus agnoscendi directis annuens Clemens X. Pontifex Maximus duobus litteris d. d. 26 et 29 iulii 1670 permisit, ut Breviariorum Romanorum insererentur textus breviarii in honorem sancti Wenceslai pro die festo 28 septembries per Congregationem cere-

In descriptione vitae sancti Wenceslai autore Gumpoldo<sup>6)</sup> episcopo Mantuensi (967—985) narratur: sanctum nudis pedibus noctu ecclesias cum suis comitibus visitasse multas precationes psalmosque dicentem<sup>7)</sup>, atque eiusdem animam „nobili triumpho angelicis manibus“ esse subvectam<sup>8)</sup>. Quaequidem etiam in libris liturgicis inveniuntur: „...sacra frequen- tabat limina nocte surgens“<sup>9)</sup>.

Nankero iam quidpiam temporis vita functo, ad finem saeculi XIV<sup>i</sup> (circiter inter annos 1382 ac 1386) edita est in lucem „Cronica principum Poloniae“ sub didactico necnon politico respectibus, quo in libro continetur quidem de maioritate ecclesiae in Silesia ac piorum principum, quomodo autem etiam aegre et invite sustineatur ditio coronae Bohemiae in Silesia ac praesertim principum e gente Luxemburg<sup>10)</sup>. Operis in

---

moniarum comprobati, per clerum autem ecclesiae catholicae „sub ritu semiduplici ... ad libitum“ recitandi; Ordinariis etiam licere festum sancti Wenceslai in suis dioecesibus introducere. Hoc festum sub die 28 septembbris in universalis ecclesia „cum officio ubique semiduplici et de praeecepto“ celebrandum per Benedictum XIII. Pont. Max. die 14 martii 1729 decretum est, quod Benedictus XIV. sancivit. Cf. A. Nagel, *Die Einführung des Christentums in Böhmen*. Wien und Leipzig 1918. 300—301. — Decreto Congregationis ceremoniarum de die 29 aprilis 1858 festum translationis sancti Wenceslai, secundum Proprium Wratislaviense adhuc celebratum supprimebatur, ac qua dies festi in honorem sancti Wenceslai constitutus est dies 28 septembbris. J. Jungnickel, *Das Breslauer Brevier und Proprium*, Breslau 1893. 98.

<sup>6)</sup> P. B. Gams, *Series episcoporum ecclesiae catholicae*. Ratisbonae 1873, nominat pag. 794 supramemoratum autorem „Gumbaldum“.

<sup>7)</sup> Gumpoldi Vita Venzeslai Ducis Bohemiae, ML. 135, 929.

<sup>8)</sup> Gumpoldi Vita, 933: „Anima sacratissima carnei clausura domicilii sub tot vulnerum exuta tormentis, nobili triumpho angelicis subvecta manibus, summi remuneratoris aspectum gaudio visura et inter gloriosos martyrum ordines per aevum concessura“. — Cuiquidem narrationi similia etiam in vita sancti Hyacinthi († 1257) leguntur.

<sup>9)</sup> *Agenda Romana Episcopatus Misnensis*. 1483. — Cf. *Compendium Antiphonarii monastici Kalendario Generali Ordinis sancti Benedicti accommodatum*, Solesmis 1894. Cuius Compendii exemplar in Bibliotheca Capituli Wratislaviensis, sub signatura VIII, 963. O, extans, exhibet supra memoratum officium sancti Wenceslai cum anthiphona sequenti ad Laudes: „Nocte surgens venit adorare ad templum sanctum in timore Dei“.

<sup>10)</sup> W. Grodzinski, *Dzieje piśmiennictwa śląskiego*. Katowice—Wrocław 1946, 17.

fine describitur „De institutione ecclesiae Wratislaviensis“ cum plurimis adnotationibus de huius dioecesis episcopis ibidem datis<sup>11)</sup>. Autorem libri se nominat Petrus de Byczyna, canonicus ecclesiae collegiatae ad sanctam Hedwigem Bregae in Silesia erectae, dedicando opus suum Ludovico I principi Bregensi, ac principi Legnicensi Wenceslao episcopo Wratislavensi. Politica istius operis mente nequaquam contraria, autor volens dicere veritatem studuisse probitati videtur<sup>12)</sup>.

Quod nunc attinet expressam Nankeri imaginem, quam iste Petrus de Byczyna dat in sua „Cronica principum Poloniae“, primo animadvertisendum est opus eiusdem historicum fuisse ortum in spatio temporis non longe remoto ab diebus Nankeri: ex obitu enim episcopi illius usque ad editionem istius „Cronicæ“ numerantur non multum plus quadraginta annis. Quo in libro Nankerus nominatur homo constanti animo praeditus, „...propter castrum Milicz Johannem regem Bohemiae in faciem excommunicavit. Devotus homo fuit et simplex, multum ieiunavit. Missas quotquot legi potuerunt per suos capellanos audivit et ad quamlibet speciale oblationem fecit. Tandem reversus Nissam pedibus ecclerias visitavit“<sup>13)</sup>. Quod testimonium temporibus Nankeri proximis exhaustum eo subtile ac grave esse videtur.

Item commemorandus est „Catalogus Episcoporum Wratislaviensium“, qui invenitur in illa conspicua collectione diplomatum dioecesim Wratislaviensem concernentium „Liber Niger“ intitulata, cuius origo medio fere saeculo XIV° censeri potest; sed hoc in libro tantum brevis mentio fit de episcopo

<sup>11)</sup> Autor „Cronicæ principum Poloniae“ nititur operibus, quae sequuntur: „Chronicon Polono-Silesiacum“, opus cuiusdam „Galli“, „Chronica Vincentii Kadlubek“. — Cf. K. Tymieniecki, *Zarys dziejów historiografii polskiej*, Kraków 1948, 18; R. Gansinięc, *Tragedia Petri Comitis*, Pamiętnik literacki 1—2, 1952, 85.

<sup>12)</sup> A. Schabbe, *Kanonikus Peter Bitschen und die Tendenz seiner Fürstенchronik* (Cronica principum Poloniae). Zeitschrift des Vereins für Geschichte Schlesiens 61, (1927), 42.

<sup>13)</sup> *Cronica principum Poloniae* cum eorum gestis. ed. Fr. W. de Sommersberg: *Silesiacarum Rerum Scriptores*, Lipsiae 1729, 66.

Nankero quoad eiusdem translationem Cracovia Wratislaviam anno 1327 obitumque anno 1341<sup>14)</sup>.

Saeculo XV° Johannes Długosz, de scientia historiographica Poloniae valde meritus, in suo opere „Catalogus episcoporum Cracoviensium et Wratislaviensium“ multum ac copiosiore modo descriptis vitam Nankeri; cuiusquidem Catalogi altera pars anno 1468 dedicata est Rudolpho de Ruedesheim episcopo Wratislaviensi<sup>15)</sup>.

Quod attinet memoratam descriptionem: Nankerus electus est praesul Cracoviensis „ob virtutes naturae suae et facultates, quibus ab longe se praebet“. Pietatis et diligentiae animo commotus Nankerus vix episcopatum ingressus coepit ecclesiam cathedralem ibidem anno 1306 flammis dirutam de novo aedificare, cuius operis impensa ad duas trium partes ex redditibus episcopalibus, quas Nankerus sua sponte offerebat, tertia autem pars inter capitulares et dioecesis clerum collecta solutae sunt. Długosz inter alia etiam laudibus affecit Nankernum propter fidei praedicationem Cracoviae vigentem necnon ob uxorem Casimiri Magni Aldonam Giedyminowam nominatam ad baptismi sacramentum accipientum praeparatam.

Anno 1326 Nankerus ad cathedralm Wratislaviensem translatus est. Qua occasione Długosz eundem, ut Cracovia transferretur, esse commotum putat ignominia permagna affecatum, quoniam rex Wladislaus Locticus episcopum colaphis caedere ausus esset. Ille enim rex offenso animo invectus est adversus episcopum constanti fortitudine iura ecclesiae iustitiaeque defendantem, ignominiam autem maxima cum patientia perpetientem.

Nankernum Wratislaviae praesul factus summopere sinceritati fidei conculere studuit, cuius in effectum Wratislaviam

<sup>14)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl.: „Liber Niger“, cuius in textu: „Dominus Nankerus Episcopus Cracoviensis translatus fuit de ecclesia sua ad ecclesiam Wratislaviensem anno Domini MCCCXXVII. Obiit autem anno Domini MCCCXL primo“.

<sup>15)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. III a 1. Inter alios manu scriptos Długoszii „De episcopis Wratislaviensibus“ catalogos exemplar Wratislaviae conservatum permagni valoris est. Cf. O. Schmidt, *Untersuchungen zu den Breslauer Bischofskatalogen*, Breslau 1917, 17.

evocavit Johannem Schwenkenfeld inquisitorem, virum probitatem ac vitae innocentiam praecellentem, ut fidem defenderet haereticasque opiniones repugnaret. Dum magistratus civitatis infenso animo aggredieretur episcopum, „homo Dei Nankerus“ multa perpessus est cum clero sibi commisso. Idem auctoritate episcopali fretus excommunicatione ecclesiastica punivit Johannem regem Bohemiae contra ius oppidum Milicz obseruentem.

Nissae Nankerus semper se dedebat officiis religionis et maxime precationibus. Długosz eundem rarae constantiae ac pietatis virum, re vera venerabilem fuisse iudicat.

Quin etiam eundem inopinate obiisse veneno prodigiose sibi infecto memoriae traditum esse dicitur, uti Długosz suspicatur, rege Johanne de Luxemburg ab episcopo ob castrum Milicz vi eruptum mulctato id factitante. Feria sexta in parasceve Nankerus Nissae caeremoniis pontificaliter absolutis nudipes una cum clero ecclesias frequentavit; ac sacramentis recreatus mortuus est, uti autor falso modo scribit, die 10 aprilis 1341. Episcopo autem vitam efflante quaedam pia mulier cantu per pulchro exaudito, talibus commota mirabilibus vocibus angelos animam episcopi Wratislaviensis ferentes in coelum vidisse dicitur.

Qua vitae explicatione, iam cognita ex prioribus testimoniis, perfecta, Długosz imaginem characteristicam Nankeri memoriae tradit: „Mirae devotionis sanctaeque simplicitatis et magnae abstinentiae corpus ieuniis et vigiliis nocte atque interdiu affligentem ipsum constat fuisse. Et hac inter alias condicione celebrem, ut omnes missas, quotquot in ecclesia, in qua aderat, legi poterant, audiret et ad quamlibet illarum specialem oblationem offeret“. Vicariis autem ecclesiae Cracoviensis Nankerus „singulis annis, quoad vivebat, de Wratislavia certam et notabilem quantitatem pecuniarum transmisitbat pro munere columbationis“ — id est offertorium pium sacerdotibus sub initium anni dari solitum. Tandem Johannes Długosz finem descriptionis Nankeri vitam concernentis fecit denuntiando: illum episcopum iustitiae quidem leges fortiter de-

fendentem Cracoviae non solum alapa affectum, sed etiam Wratislaviae „mortem pro iustitia oppetere“ fuisse paratum<sup>16)</sup>.

Hanc Nankeri ac vitae eiusdem venerabilis imaginem characteristicam per istum autorem nomine Długosz posteritati traditam invenies etiam in quibusdam copiis „Catalogi episcoporum Wratislaviensium“<sup>17)</sup>. Sigismundus Rositzius (1406—1470) exempli gratia, contemporaneus illius praenominati autoris, commemorat virtutes Nankeri in suo opere: „*Chronica et numerus episcoporum Wratislaviensium*“ anno 1470 edito, minore quidem litteratico valore quam illus<sup>18)</sup>, quoad sanctitatem Nankeri tamen certiore. Cuius imaginem episcopi Rositzius describit secundum formulare in „*Cronica principum Poloniae*“ datum: Nankerum fuisse virum constantem ac

<sup>16)</sup> Cf. J. Długoś, *Opera Omnia*, ed. Ig. Polkowski et P. Zegota, Cracoviae 1887, I, 409—410; Catalogus Episcoporum Cracoviensium. I, 465—468; Catalogus Episcoporum Wratislaviensium, Długoś z J. Dzieła wszystkie, ed A. Przeździecki, Kraków 1868, III, 89—90; 187—188.

<sup>17)</sup> Długoszii, Catalogus episcorum Wratislaviensium asservatur in Archiv. Archidioec. Wratisl. in nonnullis copiis, quae in diversis saeculis scriptae sunt. Primo loco numeratur copia tempore episcopi Pauli Alberti (1599—1600) orta, sign.: II a 1. Sequitur copia tempore episcopi Johannis Sitsch (1600—1608) facta, sign.: III a 2. Quo in exemplari legitur votum praenominato episcopo Johanni VI. destinatum: „Cui Dominus meliora tempora concedere dignetur anno jubilaeo 1600 die 18 julii in episcopum“ (sic!) — Simili modo confectae sunt istius catalogi copiae, scriptae temporibus: episcopi Francisci Ludovici Neuburgensis (1683—1732), sign.: III a 8; II a 7, episcopi Philippi Sinzendorff (1732—1747), sign.: II a 2; II a 8, episcopi Philippi Godehardi Schaffgotsch (1747—1795), sign.: II a 5, episcopi Josephi Christiani Hohenlohe-Bartenstein (1795—1817), sign.: II a 6.

In catalogo tempore episcopi Emanuelis Schimonski († 1832) conscripto de episcopo Nankero legitur eiusdem vitam ratione difficultatis cum rege Bohemiae Johanne de Luxemburg vergentis sane notabilem permagna acerbitate fuisse completam. sign.: II a 9. —

Testimonia supra citata testificantur aestimationem episcopi Nankeri ex Johanne Długosz ortam in catalogis episcoporum Wratislaviensium paene sine quibuslibet mutationibus repeti ad saeculum XIX<sup>um</sup> usque. Statuta autem capituli una cum supra memorato catalogo episcoporum in quavis electione episcopo noviter electo proponebantur, ut iuramento proprio fidem daret de statutis quam accuratissime tenendis.

<sup>18)</sup> Grodziski, *Dzieje piśmiennictwa*, 18.

devotum, multum ieunavisse permultisque missis per sacerdotes suos lectis interfuisse<sup>19)</sup>.

## 2. DE TESTIMONIIS VITAM NANKERI SPECTANTIBUS SAECULIS XVI<sup>o</sup> AC XVII<sup>o</sup> DATIS

Martino Luthero causante religionem Silesiae valde perturbatam esse constat, ac „reformatores“ ut aiunt memoriam episcopi Nankeri iura et libertatem ecclesiae maxime diligentis tueri non habuisse opus. Qua de cause sub intuitu sic nominatae „reformationis“ testimonia ex hoc tempore de Nankero tradita momenti cuiusdam retractionis non indigent, sanctitatem autem episcopi non prorsus negantes.

Inter primos saeculi XVI<sup>i</sup> scriptores sanctitatem Nankeri commemorantes Matthias de Miechowa (1457—1523) locandus est, professor Cracoviensis Universitatis Jagiellonicae, qui opus suum: „Chronica Polonorum“ bis edidit, 1519 annis et item 1521. Quo in libro inter alia legenda sunt sequentia: Nankerum obiisse Nissae „plenum bonis operibus“<sup>20)</sup>, cuius post mortem — ut autor traditionem finxit litteris — quaedam pia mulier per pulchris cantibus auditis in qualibet visione, qualiter angeli animam episcopi in coelum ferrent, conspexisset. Matthias de Miechowa etiam rumorem tradit de nece episcopi iussu regis Johannis de Luxemburg veneno affecti. Nankerum „fetur quoque episcopum mirae devotionis ac magnae abstinentie fuisse“, qui missas in ecclesia, quam visitavisset, quotquot legerentur, audivisset pro qualibet speciale offertorium donans; quoque in anno eum vicariis Cracoviensibus certam summam pecuniarum „colendae“ causa transmisisse<sup>21)</sup>. Quem etiam Johanni regi Bohemiae castrum Milicz poscenti „virum heroicum“<sup>22)</sup> se gerentem restitisse neque dubitavisse illum excommunicatione mulctare. Wratislavienses ab episcopo Precz-

---

<sup>19)</sup> *Sigismundi Rositzii Chronica et numerus Episcoporum Wratislaviensium*, Silesiacarum Rerum Scriptores, Lipsiae 1719, 66.

<sup>20)</sup> Miechovita, *Chronica Polonorum*, Cracoviae 1521, 236.

<sup>21)</sup> Miechovita, *Chronica*, 236.

<sup>22)</sup> Miechovita, *Chronica*, 234.

lao de Pogarella successore Nankeri iniuriarum eidem commissarum veniam petentes paenitentiam persolvisse, se autem quasi poena — uti iudicat autor — pro iniusta Nankeri eiusque cleri e civitate exultatione magno incommodo esse affectos incendio diei 8 maii, quo tota fere civitas flammis esset diruta. Cuius autem incendii tempore quaedam pia mulier, inclusa secundum morem asceticum, in propinquuo ecclesiae sancti Mauritii retro civitatis muros angelum conspexisse fertur gladium in manu tenentem prunisque carentibus civitatem accendentem<sup>23)</sup>.

Permagnis autem laudibus saeculo XVI° Nankerum sustulit Sebastianus S l e u p n e r canonicus capitulo cathedralis ecclesiae Wratislaviensis<sup>24)</sup>. Qui inchoante enim synodo dioecesana die 11 maii 1563 qua praedicator cathedralis ecclesiae

<sup>23)</sup> Miechovita *Chronica* 236—237. Quae legenda per Mattheium de Miechowa tradita, postea in *Chronica* per M. Bielski scripta repetita, etiam invenitur in collectis Silesiae fabulis. Cf. R. Kühnau, *Breslauer Sagen*, Breslau 1926, 127. Cuius libri in parte: *Der kohlenschüttende Engel über der Stadt Breslau* intitulata narratur de combustione totius civitatis Wratislaviensis, nonnullis tantum aedificiis exceptis, die 8 maii 1342, in die festo sancti Stanislai, sub vesperi facta, existimata quasi poena coelestis persecutionis causa, qua rex Johannes una cum communitate Wratislaviensi episcopum Nankerum affecerant: „Da wurde nun der furchtbare Brand als eine Strafe des Himmels aufgefasst“. Quaedam autem monialis reclusa apud sanctum Mauritium conspexisse fertur angelum tenentem gladium, qui prunis carentibus civitatem obruisset. Tempore moderno autore Kazimiera Iłka Owiczyńska iuxta „legendae“ modum narratur de episcopo Nankero ac pueru pirum abripiente, item quomodo per episcopum quidam pons extenderetur. Cf. Dziś i jutro 51/52, 1952, 9. Andreas Jochelson personam Nankeri dramatico modo glorificat, opere tantum machina scripto.

<sup>24)</sup> Sebastianus S l e u p n e r († 30 iunii 1572) Wratislaviensis studiis incumbebat Cracoviae et Vindebonae, quo in loco doctoris theologiae lauream adeptus est. Anno 1544 accepit sedem et vocem in capitulo cathedralis ecclesiae Wratislaviensis. Cf. Völkel, *Die persönliche Zusammensetzung des Neisser Kollegiatkapitels während seiner Residenz in der Altstadt Neisse 1477—1650 an der Kollegiatkirche SS. Johannes Ev. und Nikolaus*, Neisse 1935, 192—193. — J. Soffner, *Sebastian Schleupner, Domherr und Domprediger zu Breslau, gest. 1572*, Breslau 1886. Cuiusdem canonici nomen supra in forma: „Sleupner“ scriptum competit propriae eiusdem subscriptioni, quae invenitur in quodam libro veteris bibliothecae ad ecclesiam sancti Jacobi Nissensem fundatae, nunc autem temporis in Bibliotheca Capitulari Wratislaviensi

habuit sermonem postea typis excussum<sup>25)</sup>. Orator tres fontes malorum in ecclesia sui temporis vigentium exposuit: primo enim mores dissolutos defert ac secundo revelatam doctrinam fidei dirutam; bona denique ecclesiastica abrupta et alienata ad tertium numerum evocat.

Ampla appellatione Casparus de Logau ordinarius modernus dioecesis Wratislaviensis per praedicatorem admonetur, ut in defensione domus dei mala repugnet, vitia exstirpet virtutesque seminet. In episcopatu habeat ille sub oculis viva exempla meritaque episcoporum, exempli gratia Lamperti, Thomae, Adalberti, Stanislai, ac „maxime antecessorem, vi-  
rum religione, sanctimonia et heroicis virtutibus clarissimum,  
beatum videlicet Nankerum“. Cuius vere venerabilis hominis vestigiis inhaerere praesulem Casparum de Logau decere, quoniam ille nunquam in defendendis ecclesiae iuribus Cracoviae quidem colapho caedi, Wratislaviae autem mortem obire admirandam dubitavisset, „exemplum relinquens clarissimum omnibus suis successoribus recte gubernandi hanc almam Wratislavensem ecclesiam. Cuius vestigiis inhaerere ut est glorio-  
sum, ita turpe non imitari, et eo quidem turpius, quo magis haec quam illa tempora Nankerum quempiam videntur requirere“.

Altero in loco Sleupner commemorat Nankerum in „Adnotationibus de episcopis Wratislaviensibus“<sup>26)</sup>, et quidem praeclara significatione „patrem laudatissimum“. Qua in explicatione omnia de vita Nankeri iam cognita inveniuntur: cathedra Cracoviensi eundem Wratislaviam translatum, a rege Wladislawo Loctici ob iura ecclesiae defensa alapa caesum, Wratis-

---

asservatae sub signatura 42 n, (XLVII, 2, S. 16) et quidem in sequenti textu: „Annotationes quaedam collectae in studio Cracoviensi in officiis Ciceronis anno 1542 per me Sebastianum Sleupner“.

<sup>25)</sup> *Oratio habita ad catholicum Clerum in synodo, quae celebrabatur in Cathedrali Ecclesia Wratislaviensi Anno post natum Salvatorem 1563, quinto id. Maii. Authore Sebastiano S l e u p n e r o, Doctore et Praeposito Sanctae Crucis. Nissae, excudebat Joh. Cruciger. 1563.*

<sup>26)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. I. A. 1, c: Sleupneri annotationes de episcopis Wratislaviensibus usque ad Johannem Roth. Quo ex manu-  
scripto in bibliotheca ad ecclesiam sancti Jacobi Nissensem fundata  
asservato, Sebastiano Sleupner defuncto, per Johannem Felicem Pe-  
dewitz canonicum et parochum Nissensem copia anno 1682 fuit confecta.

laviae autem esse coactum regem Johannem de Luxemburg excommunicatione mulctare, qui castrum Milicz vi eripuisset. Episcopus etiam civitatem Wratislaviam interdicto punivit, quo facto clerus, monachis in claustris sancti Jacobi exceptis, de officiis praemonebatur, quam ob rem rex infensus sacerdotes episcopo foventes exulere coegit. Nankerus autem obiit „feliciter in persecutione duorum regum propter iustitiam“<sup>27)</sup>.

Martinus K r o m e r, spectatus rerum scriptor Polonus ac bene meritus (1512—1589), rebus et factis ex vita Nankeri iam cognitis in opere suo datis, episcopum aestimat his ut sequuntur verbis: „Nankerus Wratislaviensis episcopus, religiosissimus et continentissimus vitae, veneno, ut creditum est, extinctus“<sup>27)</sup>.

Contrario modo Joachim C u r e u s, lutheranae confessionis († 1573), Nankerum diiudicat. Qui dum bonam indolem clementiamque regis Johannis de Luxemburg admiratur, iracundiam Nankeri ratione excommunicationis reprehendens episcopum suspicatur requisisse necis occasionem nomine martyris ex regis istius manibus. Autor annales Poloniae sanctitatem Nankeri laudibus ornare non ignorans, nequaquam quidem ipsem de huiusmodi zelo decernere „sed libertatem dare vult pietati, num supradictus zelus praeceptis per Christum eiusque apostolos traditis possit comparari“<sup>28)</sup>, sanctitatem sane episcopi Nankeri non infinitatur.

In continuatione „Annalium Ecclesiasticorum“ Caesaris Card. B a r o n i i (1538—1607) commemoratur excommunicatum esse regem Johannem per episcopum Nankerum, tempore quidem non accurate dato, id est post annum 1344, qua ex causa rex ipse a Pontifice Maximo, ut Pragae in Bohemia nova sedes metropolitana institueretur, petivisset; Nankerus enim

---

<sup>27)</sup> M. K r o m e r, *De origine et rebus gestis Polonorum*, Basileae 1568, 204.

<sup>28)</sup> J. C u r e u s, *Annales Silesiae*, Wittenbergae 1571, 101. Cuius operis dedicatio Glogoviae scripta est anno 1570. Cureus etiam catalogum episcoporum fertur edidisse anno 1569; cf. S c h m i d t, *Untersuchungen*, 30.

eundem poena ecclesiastica punitum non iam „regem“ (sermone polonico: „król“), sed tantum „regulum“ (sermone polonico: „królik“, etiam autem in sensu „cuniculus“) nominare ausus esset; ratione coronationis regiae autem metropolita opus esset<sup>29).</sup>

Bartosz P a p r o c k i, Polonus ac gnarus arte heraldica, anno 1584 arma episcopi Nankeri (bipennis alba in rubro campo pinctus) describit atque „Catalogo episcoporum Cracoviensium“ natus mentionem facit eiusdem electionis in episcopum; Nankerum fuisse virum „magnae probitatis“, qui multa utilissima ad bene regendum dioecesis Cracoviensis clerum instituisset<sup>30).</sup>

Martinus B i e l s k i (1495 — 1575), scriptor rerum Polonicarum eiusdem temporis, denuntiat in suo opere: Wratislavienses, episcopo Nankero anno 1341 vita functo, successori eiusdem Preczlae de Pogarella ingressum solemni modo facienti nudipedes ac capitibus detectis amiculisque vestitos longis iisse obviam, comitantes episcopum novum a praetorio civitatis usque ad ecclesiam sancti Adalberti sub respectu illius, quod mercati de bonis ecclesiasticis exsecratione puniti fuissent, de qua per modernum praesulem liberarentur. Dei autem iudicio cives de novo ob iura ecclesiae fracta multatos esse tota civitate paulo post flammis deleta<sup>31).</sup>

Apud Stanislaum S a r n i c k i praedicatorem Cracoviensem nil novi quoad imaginem characteristicam episcopi Nankeri invenitur nisi historia regis Johannis<sup>32).</sup>

Etiam saeculo XVII<sup>0</sup> memoria Nankeri oblivioni non prorsum dabatur. Martinus H a n k i u s Nankerum iam iuvenili aetate litteris deditum, tempore autem episcopatus per regem Wladislaum Locticum non uti episcopum, sed contra

<sup>29)</sup> *Annales ecclesiastici ab anno quo desinit card. Caes. Baroniuss* 1198 usque ad annum 1584 continuati ..., auctore Odorico R a y n a l d o, *Coloniae Agrippinae* 1773. XVI, 218.

<sup>30)</sup> B. P a p r o c k i, *Herby rycerstwa polskiego*, (collect. et edit. anno 1584) Kraków 1856, 561—563.

<sup>31)</sup> M. B i e l s k i, *Kronika polska*, Kraków 1595, 226.

<sup>32)</sup> St. S a r n i c k i, *Annales sive de origine et rebus gestis Polonorum et Lithuanorum libri VIII*, Cracoviae 1587, 1125—1126.

uti servum esse tractatum tradit<sup>33)</sup>; quoad eiusdem virtutes ab hoc autore Nankeri probitas, studium iustitiae, propugnatio iuris ecclesiae ac denique pietas magnis extolluntur laudibus, visione quadam iam saepius commemorata de anima episcopi per angelicos conventus in coelum sublata haud praetermissa<sup>34)</sup>.

Nicolaus Henelius ab Hennfeld anno 1613 Nankeri de splendore operis divini bene meruisse laudat: eundemque „religionis christiana et ecclesiae suae defensorem strenuum, castitatis et pietatis insigne exemplar“ fuisse, qui „quibuscumque sanctissimis pastoribus“ comparari posset; neque esse dubitandum, quin ille episcopus paene quasi martyr nominaretur, rex autem Bohemiae veneno mortem Nankeri efficiens quasi instrumentum divinae providentiae<sup>35)</sup>.

Jacobus Schickfus, protestanticae confessionis, (1574—1637) zelum Nankeri commendat omnibus vere piis hominibus patientiamque episcopi persecutioes duorum regum tam Wladislai Loctici quam Johannis de Luxemburg passi laudibus ornat<sup>36)</sup>.

<sup>33)</sup> M. Hanki, *De Silesiorum rebus*, Lipsiae 1605, 77: „Tum mire patiens Nankerus, quamquam ut servus, non ut episcopus a rege tractatus“.

<sup>34)</sup> M. Hanki, *De Silesia indigenis eruditis*, Lipsiae 1707, 72—83: „Ideo Nankeri etiam opera, singularem pietatem prae se ferentia“.

<sup>35)</sup> Nicolai Henelii ad Hennfeld, *Silesiographia renovata*, Wratislaviae et Lipsiae 1704, 89—90. Cuius operis autor (1584—1656), doctor iuris ac munere syndicatus apud magistratum civitatis Wratislaviensis functus, edidit librum anno 1613. Nova editio typis excussa est anno 1704. — Qua in Silesiographia legitur de episcopo Nankero: „... iurium ecclesiasticorum propugnator acerrimus“, — „de caetero virum fuisse satis nunquam laudatum, religionis christiana et Ecclesiae suae defensorem strenuum, castitatis et pietatis insigne exemplar, fortitudine denique admiranda praeditum fuisse testari“; „... eam in insula vitam exegit, per quam quibuscumque sanctissimis Pastoribus comparetur“. — „Gloriosum proinde ac prope dixerim Martyrem, Cracoviae annis 5 et medio, Wratislaviae 15 plane persecuti sunt Principes terrae, sed gratis, quia ad sua placita nunquam eum divertere potuerunt“. — „De magna tribulatione venit equidem, cum excessit e vita Nankerus, sed ad magnam quoque palmam haud dubie, exantlatis tot aerumnis, et confectis tot iniuriis, in coelo pervenit“. *Silesiographia*, 91—92.

<sup>36)</sup> J. Schickfusius, *Neu-Vermehrte schlesische Chronica und Landes Beschreibung*, Leipzig 1625. I, 71—72.

Eodem modo Abraham B z o v i u s Ord. Praed., rerum scriptor, Nankerum virum „mirae devotionis ac magnae abstinentiae“ obiisse, rege Johanne uti fertur, id causante tradit, testimoniiis Długoszii, Kromeri Miechowitaeque natus<sup>37)</sup>.

Stanislaus Ł u b i e ñ s k i episcopus Plocensis in opere: „*De rebus Silesiacis*“ regem Bohemiae pessime adversus Nankerum se gerentem eundem maximis iniuriis perfudisse dicit<sup>38)</sup>.

Per pulchrum testimonium in favorem episcopi Nankerii in opere Simonis S t a r o w o l s k i canonici Cracoviensis, „*Vitae antistitum Cracoviensium*“ intitulato et anno 1658 Andreae Trzebicki principi-episcopo per typographum Johannem Paulum Cezar dedicato invenitur ex libris Długoszii exhaustum. Honorabili pietate Nankerii pro tempore decani capituli Cracoviensis commoti capitulares eundem elegerunt praesulem ratione eius virtutum meritorumque. Episcopatum Cracoviensem ingressus Nankerius summopere vitam ac mores cum cleri tum fidelium temporibus episcopi Muskata antecessoris sui depravatos corrigere et emendare dedit operam. Constitutionibus bonis quoad poenas ecclesiasticas editis ac ecclesia cathedrali in Wawel sito flammis prius diruta de novo raedificata, denique Casimiri Magni uxorem doctrinam fidei catholicae doceri fecit. Per capitulum Wratislaviense Nankerius episcopus postulatus ob „probitatem et sanctimoniam vitae“ et ad illam cathedram Silesiacam translatus „cum titulo defensoris iurium ecclesiasticorum“, admirabili constantia iustitiae defendendae incumbebat. Maxime autem Nankerius opprimebatur consiliis hostilibus Johannis regis Bohemiae, qui castro Milicz vi obsesso ne excommunicatione quidem istud reddere cogebatur, sed clero ex civitate Wratislaviensi se auctore expulso „ipsum episcopum clam procurato veneno paucos intra dies sustulit“<sup>39)</sup>. Ut in libro Długoszii traditur: Nankerum vita efflata concinibus ange-

<sup>37)</sup> *Annalium ecclesiasticorum ... Abr. Bzovio, Coloniae Agrippinae 1616, 694.*

<sup>38)</sup> St. Ł u b i e ñ s k i, *Opera postuma, Antwerpiae 1643, 172.*

<sup>39)</sup> Simon S t a r o w o l s k i, *Vitae antistitum Cracoviensium, Cracoviae 1658, 82.*

licis chorus sublatum esse in coelum, ita apud Starowolski. Item eodem praenominato autore nitus Nankerum pietate corporisque abstinentia se praestitisse memoriae dat, eundemque fuisse virum simplicitatis animi, qui corpore ieuniis lacerato multum orationibus studuisset ac, nocte in solo iacens, camisia poenitentiali vestitus disciplinam die noctuque adhibuisset. Religiosissimo modo episcopum missis, quotquot sacerdotes legissent, interfuisse speciale cuiusque offertorium donantem intentione cathedralis ecclesiae suae ac pro defunctis et vivis, eundemque amore ecclesiae cathedralis Cracoviensis commotum visitasse tumulum sancti Stanislai, vicarios autem Cracovienses largis cumulantem donis. Nissae tandem in Silesia Nankerum nudis pedibus ecclesias feria sexta in paracese frequentantem obiisse sacramentis recreatum in Domino<sup>40</sup>).

Inter scriptores historica arte peritos e regione Bohemiae hisce temporibus B a l b i n u s Soc. Jesu<sup>41</sup>) commemorandus est, cuius in opere memoriae venerabilis Arnesti archiepiscopi Pragensis destinato invenitur praeclarum testimonium episcopi Nankeri venerationem concernens. Cuiusquidem Balbini sententia Nankerus „vir acerrimus et ecclesiasticae libertatis laesae severissimus vindex“ praedicandus est: illum enim omnibus viribus restitisse conatui regis Johannis, ne Silesia aggreditur coronae Bohemiae, ac „sanctissime in exilio“ vitam efflasse<sup>42</sup>.

Anno 1665 Patres Societatis Jesu in collegio Wratislaviensi librum tituli: „*Fama postuma virtutis et honoris Episcoporum Wratislaviensium*“ Sebastiano Rostock principi-epi-

<sup>40</sup>) Starowolski, *Vitae 82—83*. Quo in libro etiam invenitur imago ligno incisa continens arma „Oksza“ versusque sequenti addito:  
„Abstulit hunc Cracae diues Wratislauia Sedi,  
Constantem vitam deuenerata viri.  
Namq: refulgebat mire virtutibus amplis,  
Seruuitq: Deo nocte dieq: suo.  
Angelicae moriente illo cecinere cohortes:  
O vox, o cunctis anteferenda sonis.“

<sup>41</sup>) B. A. B a l b i n u s, *Vita venerabilis Arnesti (vulgo Ernesti) primi archiepiscopi Pragensis*, Pragae 1664.

<sup>42</sup>) B a l b i n u s, *Vita*, 86.

scopo Wratislaviensi dedicatum ediderunt<sup>43)</sup>), quo in opere etiam Nankeris episcopi fit mentio: eundem nudipedem frequentasse ecclesias, morientis autem animam sub cantu angelico sublatam esse in coelum. Nankerus pietate praeclarus nominatur, multis missas audivisse dicitur; uti iustitiae amator per regem Poloniae alapa concisus, in Silesia autem veneno est interfectus, homo in ipsiusmet vitae curriculo maxime abstinentiae deditus. Cuius libri in fine carmen speciale additum est veneratione erga Nankerum de dioecesi Wratislaviensi optime meritum plenum<sup>44)</sup>.

---

<sup>43)</sup> *Fama postuma virtutis et honoris Episcoporum Wratislavien-sium, virtuti et honori Reverendissimi ac Celsissimi Principis Domini Do-mini Sebastiani Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Episcopi Wratislavien-sis, Sacrae Caesareae Regiaeque Hungariae ac Bohemiae Maiestatis Con-siliarii, et Supremi in utraque Silesia Capitaneatus Administratoris, cum solemni ritu in Silesiae Antistitem consecraretur, oblata a Caesareo Re-gioque Collegio Wratislaviensi Societatis Jesu, Anno 1665. Vratislaviae, Typis Baumannianis imprimebat Johannes Christophorus Jacob.*

<sup>44)</sup> „Post alapam Christi similem, calicemque veneni,  
Aptior est nullus, quo moriare, dies.

---

Fasces, non asciam, aut securim,  
Instrumenta Iustitiae vere Consularis,  
portare debebat in Scuto  
Nankerus.  
Pro illa, alapam ore exceptit,  
et sine stomacho generose concoxit.  
Pro illa  
.mortem exhaustus:  
Sic serviliter tractatus,  
ut uni Regum esset a manibus:  
alteri a poculis.  
Amanuensis in Polonia:  
Pocillator Regis in Boemia.  
In Cracoviensi Episcopatu retulit praemium  
palmare:  
In Wratislaviensi  
triumphale:  
in quo mistam veneno  
bibit Lauram in Scipho,  
Ad vitam, potu sic profuturo, aeternam.  
Non aliter boni Pastores, qui ponunt  
Animam pro ovibus suis,  
Illarum bibunt in Sanitatem.  
Quibus,  
Quid aliud didicisset in mensa Christi,

Quidam *C r u c i g e r u s* Nankeri fidelitatem erga ecclesiae eiusdemque iurium propugnationem necnon abstinentiam commemorat<sup>45)</sup>.

Eodem modo de Nankero iudicat Godefridus Ferdinandus *B u c k i s c h* secretarius in regimine regio Bregensi<sup>46)</sup>, cuius in libro historico tempora et res gestae episcopi huius atque amborum regum: Wladislai Loctici necnon Johannis de Luxemburg accurate inquiruntur, in sequenti autem singulae magni momenti res Nankerum attingentes dantur: episcopo Nankero tam pessime tractato, totam fere civitatem Wratislaviam anno 1341 die 7 septembbris fuisse combustam conspectumque angelum prunas in civitatem deicientem quasi vindictam coeli ratione sanguinis innocentis Nankeri ipsius, quoniam ille episcopus anno 1341 obiisset haud sine gravi suspitione veneni sibi injecti<sup>47)</sup>. Nankerum autem religiosissimum virum fuisse, maxime intentum in honorem Dei ecclesiaeque augendum, in-

---

quam vitam per mortem propinare?  
 Morere iam Nankere, morere!  
 Positus super Aquilam Silesiae,  
 eveheris novus non Ganymedes, sed Johannes  
 ad mensam; super pectus Jesu.  
 Tam pretiosum haustum non fecit Cleopatra:  
     Illa regnum bibit,  
     Tu coelum!  
 Antequam illud peteret Nankerus,  
 Circuivit per vices et plateas Nissenae Civitatis,  
     quasi quaerens dilectum  
     die Parasceves.  
 Et ecce,  
 cum alibi non posset, tandem reversus domum,  
     nihil tale suspicatus  
     invenit eum in Lectulo,  
     cum Domino obdormiens obdormiente.“

<sup>45)</sup> G. *C r u c i g e r i i*, *Sacrorum pulverum incliti Regni Bohemiae et nobilium eiusdem pertinenciarum Moraviae et Silesiae*, Lito misslii 1669, pars II. d. d. 10 aprilis.

<sup>46)</sup> G. F. *B u c k i s c h*, *Prolegomena Schlesischer Kirchen-Historien worinnen enthalten, wie und welcher Gestalt das Christenthumb in Schlesien anfänglich von den Pohlnischen Monarchen miraculose introduciret*, Neyse 1685.

<sup>47)</sup> *B u c k i s c h*, *Prolegomena* 58.: „So vermutlich die in Himmel schreyde Rache unschuldigen Bluts, mehr erwehnten Bischofs Nankeri verursacht“.

servientem Deo ieuniis vigiliisque die noctuque; eundem ne unam quidem missam, quotquot legerentur qualibet in die, neglexisse. Denique episcopo vitam efflante quandam piam mulierem audivisse cantum pretiosum, quo in visionem quasi elata vidisset angelos animam episcopi subferentes in coelum<sup>48)</sup>.

Saeculo XVII<sup>0</sup> nondum finito, mentio de Nankeris sanctitate inveniri potest etiam in libro Friderici L u c a e, vices gerentis prius praedicatoris in aula principum Legnicensium ac Bregensium, postea autem lantgravii Hessiae<sup>49)</sup>; Nankerum pessime vixisse Cracoviae cum rege Wladislao Loctico, cui semper veritatem esset locutus; ita esse factum, ut colapho caederetur<sup>50)</sup>. Regi autem Bohemiae Johanni regimen totius Silesiae flagitanti episcopum omni modo restitisse in defensione libertatis illius regionis, quin etiam excommunicasse ilum regem castrum Milicz vi eripientem; papam tamen Nankerum omnibus his in rebus ac factis adiuvisse.

### 3. DE PRIMO CONATU PROCESSUM BEATIFICATIONIS INDUCENDI

Inchoante saeculo XVIII<sup>0</sup> primum de causa beatificandi episcopum Nankerum cogitatur. In libris historicis eiusdem temporis memoria Nankeris eiusve vitae nequaquam fit oblizioni; prout in saeculis ante, item nunc resistentiam episcopi adversus reegm Johannem Bohemiae eiusdemque excommunicationem ratione castri Milicz vi erepti inter omnes constat,

<sup>48)</sup> B u c k i s c h, *Prolegomena* 38. Nanker „war ein sonderlicher Eyfferer umb die Ehre Gottes und seiner Kirchen, auch dem Gottesdienst so ergeben, dass er sich mit fasten und wachen Tag und Nacht mortificiret, und nicht leicht eine einzige Messe, so viel deren dess Tages durch gehalten worden, versaumet gehabt. Bey seinem Hinscheiden soll eine fromm andächtige Matron, ein ammuthigen Gesang gehöret, und davon alteriret, eine Offenbarung gehabt haben, dass jetzo gleich die Engel die Seele dess Bischoffs Nankerl nach dem Himmel trügen“.

<sup>49)</sup> F. L u c a e, *Schlesiens curieuse Denkwürdigkeiten oder vollkommene Chronica von Ober- und Nieder-Schlesien*, Frankfurt am Main 1689, 252.

<sup>50)</sup> L u c a e, *Schlesiens curieuse Denkwürdigkeiten*, 252.

necnon persecutiones, quibus episcopus una cum ipsiusmet clero fuisset oppressus, quo factum esset, ut quoddam proverbium, ut sequitur, diceretur: „Tempore Nankeri fuit persecutio cleri“<sup>51)</sup>. Eodem modo episcopum aegrotantem obiisse mortem veneno injecto apud scriptores istius temporis repetitur<sup>52)</sup>. Qua de causa memoriam istius heroici antistitis in Silesia fulgentem renasci posse facile est ad intelligendum.

Eodem tempore solemnitas beatificationis sancti Ceslai, missionarii: id est de religiosa totius Silesiae vita optime meriti, per Clementem XI. anno 1713 factae celebrata est<sup>53)</sup>. Atque haud dubie esse videtur, quin hac solemnitate commoti sacerdotes non solum, sed etiam fidelis populus in dioecesi Wratislaviensi impellerentur agere aliquid in favorem episcopi Nankeri istius defensoris fortissimi iurium ecclesiasticorum tempore medii aevi ac in eiusdem venerationis.

Inter canonicos capituli cathedralis Wratislaviensis primum tractatur de inducendo fortasse processu beatificationis ac eiusdem commentatione praeparationeque necessariis in sessione capituli generalis die 18 novembris 1715 Wratislaviae celebrati<sup>54)</sup>. Qua in sessione erant praesentes: Cornelius Aloisius comes Strattmann praepositus, Leopoldus Sigismundus comes Frankenberg decanus et vicarius generalis, Johannes Franciscus baro Hoffmann cantor et consiliarius episcopi, Carolus baro Beck custos, Antonius comes Hatzfeld-Gleichen officialis, Elias Daniel Sommerfeld episcopus auxiliaris, ac praelati et canonici Johannes Ludovicus baro Krawarz, Caspar Adolfus Paczinski, Johannes Christophorus de Rummerskirch, Joseph baro de

<sup>51)</sup> Schlesische Kern-Chronicke oder Kurze jedoch gründliche geographisch-, historisch — und politische Nachricht von dem Herzogthum Schlesien, Nürnberg 1710, 363—364.

<sup>52)</sup> Der Schlesischen Kern-Chronicke Anderer Teil., Frankfurt und Leipzig 1711, 130.

<sup>53)</sup> Cf. W. Urbański, Kult bł. Czesława we Wrocławiu, Wiadomości Kościelne 8—9, 1947, 167—173.

<sup>54)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. III b 18. Acta Capitularia 1715—1719: Capitulum Generale, quod annua revolutione post festum Dedicationis Ecclesiae celebrari consuevit.

Tenzin, Jacobus comes de Frankenberg, Carolus Ferdinandus de Sommerfeldt et Falckenhan, Adam Antonius Oexel de Friedenberg.

Missa de sanctissima Trinitate in ecclesia cathedrali celebrata omnes capitulares praesentes sub pulsu campanae capitularis in domo capitulari congregati flexis genibus gratiam Spiritus Sancti deprecati sunt. Nonnullis capituli statutis secundum consuetudinem in capitulis generalibus haberi solitam primo lectis, invenitur in rebus tractatis negotium de inquirendo tumulo episcopi Nankeri<sup>55)</sup>). Huiusmodi sepultura non statim requisita esse videtur; nam demum in protocollo sessionis die 16 martii 1719 factae descriptum est, quomodo die 15 martii eiusdem anni cadaver ossaque episcopi Nankeri ex tumulo sublata erant, quasi reliquiae veneratione dignae<sup>56)</sup>). Quibus de rebus in praenominato protocollo refertur ut sequitur: „Decanus retulit, quod ex commissione capituli una mecum hesterna die, quae fuit decima quinta martii 1719, ossa venerabilis episcopi Nankeri invenerit, desuper lapide sepulchrali iacente cum inscriptione concordante, quam apud se notatam ab antecessoribus invenit, unde ossa deprehensa levata et in arcam posita, bene occlusa ac obsignata in sacristia pro interim deposita asserventur, annulus vero aureus productus thesauro applicandus esset pro raritate, quod et placuit; et desuper conclusum fuit, ut lapis sepulchralis denuo sepulchro adaptetur, ut sepulchrum conservetur, lapidi autem inscindatur, qua die ossa levata fuerint, sepulchrum quoque reparetur destructum, ut tota conservetur memoria“.

Aliis ex fontibus nil eiusdem negotii elucescit; rebus sicstantibus hodierno tempore de progressione istius conatus, quod attinet processum beatificationis inducendum, quidpiam adiungi non potest.

---

<sup>55)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. III b 15: Ratione sepulturae et sepulchri Episcopi Nanckerii inquiretur in Actis, utrum non inveniri possit, ubi nam sepultus sit“.

<sup>56)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. III b 17. Acta Capitularia 1700—1725.

**4. DE MEMORIA NANKERI TEMPORIBUS SILESIAE SUB DITIONE  
PRUSSICA DECENTIS AC ETIAM MODERNIS CULTA**

Saeculo XVIII<sup>0</sup> dioecesis Wratislaviensis ratione mutationis in rebus politicis factae multis laborabat incommodis, quo accidit, ut fundamentis totius religionis praeterea funditus eversis propositum quoad beatificationem Nankeri non posset adduci ad meliorem finem. Quamvis res se haberent, tamen memoria Nankeri, huius vere magni ac bene meriti praesulis, in libris historicis eiusdem temporis haudquaquam interiit. Nam in operibus tam Thebesii quam autoris cuiusdam nomine Gomolcky commemorata sunt impedimenta, quibus Nankerus ratione laboris pastoralis afficiebatur per regem Wladislaum necnon regem Johannem<sup>57)</sup>.

Anno 1761 Posnaniae per Franciscum R z e p n i c k i Soc. Jesu in lucem editus est tomus primus libri: „Vitae praesulum Poloniae ...“ intitulati, in quo etiam Nankeri multum fit mentionis: illum iuvenili licet aetate praeditum „virtute et eruditione decanatum Cracoviensem“ meruisse<sup>58)</sup>. Nankerum praesulem Cracoviensem magnis viribus studuisse, ut mores in dioecesi emendarentur ac cathedralis ecclesia in Wawel sita reaedificaretur. Casimiri Magni sponsam nominis Aldonam ab eodem non solum doctrina christiana eruditam, sed etiam baptisatam ac denique fuisse cum marito sponsalibus coniunctam. Nankerum autem multis salubribus rebus in utilitatem dioecesis ordinatis, cum conflictaret cum rege Wladislawo Loctico, Wratislaviam esse translatum, ubi „murum se opposisset pro domo Dei“. Praeterea episcopum „innocentiae et devotionis magnae“ virum fuisse, „anno quovis sepulcrum sancti Stanislai pedem“ visitantem „cleroque Cracoviensi iustum“ largientem „eleemosynam“ eo animo, ut sacerdotes ibidem degentes

<sup>57)</sup> Weyland George T h e b e s i i, *Liegnitzische Jahrbücher*, (hgb. G. B. Scharffen), Jauer 1733, 185. Daniel G o m o l c k y, *Des kurz-gefassten Innbegriiffs der vornehmsten Merckwürdigkeiten in der Kayser- und Königl. Stadt Breslau in Schlesien Erster Teil.*, Breslau 1733, 32.

<sup>58)</sup> Fr. R z e p n i c k i, *Vitae Praesulum Poloniae Magni Ducatus Lithuaniae, Posnaniae* 1761, 296—297.

se absentem „divo commendarent martyri“. Tandem huius libri autor narrat de supra memoratis rebus, exempli gratia de cantu angelico moriente praesule ac eiusdem anima in coelum assumpta.

Modo quasi entusiastico vita Nankeri describitur in libro Floriani Jaroszewicz Ord. Reformat. anno 1767 in typis excusso de „Sanctis Poloniae“ agente. Quibusdam vitae episcopi dati falso modo dictis non obstantibus, hoc libro biographicz magna veneratio erga Nankerum continetur: Eundem merito cognomine „benedictum“ appellatum, iam iuvenili aetate servitio Dei incumbentem ita pium se gessisse, ut ratione vitae religiosae per capitulum episcopus Cracoviensis eligeretur; qua dignitate vestitum tam bene functum esse huiusmodi murene, ut ne cuiuslibet quidem rei posset argui. Sobrietati et corporis abstinentiae deditum Nankерum quotidie seipsum non solum missae sacrificium obtulisse, sed etiam audiisse alias missas, pauperibusque ac sacerdotibus multas largientem eleemosynas. Wratislaviae episcopo regem Bohemiae hostili animo aggredientem fuisse excommunicandum ob castrum Milicz vi ereptum; qua poena ecclesiastica commotum regem anno 1341 Nankeri veneno de medio tolli fecisse. Circa istius operis finem, mentione de cantu angelico animaque assumpta in coelum facta, haec circiter autoris verba continentur: „Corpus martyris et episcopi in cathedrali ecclesia Wratislaviensi sepultum est, supra quo sepulcro Deo iustitiam Nankeri commonstrante multa mirabilia sunt facta“. Tandem autor vindictam divinam incendio civitati Wratislaviensi illatam etiam non praetermisit silentio, quo factum esset, ut Wratislavenses nudipedes detectis capitibus pauperrime vestiti ad episcopum Preczlaum de Pogarella coacti essent migrare, absolutionem non frustra deprecaturi<sup>59)</sup>.

Apud alios huius temporis rerum scriptores breviora quae attinent vitam Nankeri leguntur. Samuel Benjamin Klose

---

<sup>59)</sup> Fl. Jaroszewicz, *Matka świętych Polska albo żywoty świętych, błogosławionych, wielebnych, świętobliwych, pobożnych, Polaków i Polek*, Poznań 1893. II, 36.

(1730—1798) regimen Nankeri permagni momenti spatium in historia Silesiaca fuisse iudicat, non ignorans conflictum ratione castri Milicz inter episcopum et regem Johannem vergentem<sup>60)</sup>.

Fridericus Gulielmus Pachaly fieri posse arbitratur, ut episcopus excommunicatione regis Johannis secundum illius temporis sensum facta se fortasse coronatum iri martyrio spem habuisset. Rex autem ira incensus explicavisse dicitur, quod ille sacerdos, quodam pessimo cognomine destinatus, aliquam quidem martyrii occasionem reperiri putaret, rex ipsem tam nec unquam de istiusmodi consilio vellet cogitari. Ut autem exempla ex historia deprompta adhibeantur, huius autoris sententia non solum Stanislauum Szczepanowski episcopum Cracoviensem ab rege Poloniae, sed etiam Thomam Becket ab Henrico II. Angliae rege pari modo ac Nankeru caede multatos postea inter sanctos esse numeratos constat<sup>61)</sup>. Quae cum ita sint, Nankeru tamen rigidissimus, quod attinet ipsiusmet iura propugnanda, fuisse existimatur.

Etiam saeculo XIX<sup>o</sup> testimonia sanctitatem quandam Nankeri illustrantia exstant. Autorum maxime spectabilium aliqui enumerentur: Menzel fortitudinem Nankeri, qui exemplum antecessoris sui Thome II. episcopi († 1292) imitatus regi obviam venire ausus esset, ut castrum Milicz „patrimonium sanctum ecclesiae“ reposceret, laudibus extulit<sup>62)</sup>.

Quidam autor nomine Rathmann Nankerum feria sexta in parasceve Nissae nudis pedibus ecclesias visitantem primo vespere obiisse, aut veneno praeparato aut frigore tactum annuntiat, sed plane non esse dubitandum, quin episcopus exemplum praebens pietatis et castitatis invictaeque constantiae, omnium opinione qua „sanctus“ habitus, efflavisset vi-

<sup>60)</sup> S. B. Klose, *Von Breslau. Dokumentierte Geschichte und Beschreibung in Briefen*, Breslau 1781. II, 123.

<sup>61)</sup> P. W. Pachaly, *Sammlung verschiedener Schriften über Schlesiens Geschichte und Verfassung*, Breslau 1790. I, 98; II, 153—155.

<sup>62)</sup> Menzel, *Topographische Chronik von Breslau*, Breslau 1805, I, 104—105.

tam<sup>63)</sup>). Quem etiam idem autor secutus partes defensorum Nankeri excusare conatur adversus eos, qui Nankeri nimis vehementem propugnandi ecclesiae iura animum reprehenderant. E contra Rathsmann adfuturus iisdem praenominatis, qui gnari officiis episcopalibus consilia Nankeri approbaverunt, existimatur: populum consuetum licet esse desiderare, ut quanam via clementiae prudentiaeque quicquam effectus appetatur; nihilo setius animadverti oportere episcopum Nankerum tali humanae naturae indole fuisse neque sine mendis ex hac ortis. Quosdam autores Nankero eiusmodi causa esse insidiatos eo animo, ut excusaretur rex Bohemiae ab culpa difficultatum, quibus episcopum affecisset, quamquam rex aliter ac sine vi affectata finem castri Milicz in possessionem accipiendi potuisset consequi. Nankerum autem sua indole acri commotum vehementissime licet agere fuisse solitum, semper autem bona voluntate, qua hominibus facultas, ut sanctiores fierent, esse data<sup>64)</sup>.

Nicolaus P o l constantiam Nankeri maxime in conflictum rege Bohemiae patefactam laudibus ornat<sup>65)</sup>.

Edmundus P h i l i p p in suo opere historiam civitatis Wratislaviensis spectante traditionem de combustione Wratislaviae anno 1342 adiecta uti „vindicta divina“ ratione persecutio episcopi Nankeri eiusdemque cleri necnon caedis Johanni Schwenkenfeld inquisitori allatae bene fundatam esse iudicat<sup>66)</sup>.

Apud autorem M i n s b e r g legitur de vita Nankeri Nissae agentis orationi, abstinentiae piisque operibus dedita<sup>67)</sup>.

<sup>63)</sup> (J. R a t h s m a n n ) *Fragmente aus der Geschichte der Klöster und Stiftungen Schlesiens von ihrer Entstehung bis zur Zeit ihrer Aufhebung im November 1810.* Breslau (1812), 506: „...starb im allgemeinen Rufe der Heiligkeit“.

<sup>64)</sup> (R a t h s m a n n ), *Fragmente*, 507.

<sup>65)</sup> N. P o l, *Jahrbücher der Stadt Breslau*, (hgb. J. G. Büsching). Breslau 1813, 110—111.

<sup>66)</sup> E. P h i l i p p, *Geschichte der Stadt Breslau*, Breslau 1831. 76—79.

<sup>67)</sup> F. M i n s b e r g, *Geschichtliche Darstellung der merkwürdigsten Ereignisse in der Fürstenthums-Stadt Neisse*, Neisse 1834, 26—32.

Stenzel episcopum excommunicatione regis quamlibet occasionem obeundi mortem „martyris“ quaesivisse suspicatur<sup>68)</sup>.

Fridericus Gulielmus Erdmann in sua „Descriptione cathedralis ecclesiae Wratislaviensis“ Nankerum nimis vehementer egisse arbitratur<sup>69)</sup>.

Johannes Heyne (1804—1871), beneficiatus apud capellam sanctae Elisabeth cathedrali ecclesiae Wratislaviensi adiectam, in suis operibus historiam dioecesis illustrantibus<sup>70)</sup>, quod attinet episcopum Nankerum eiusque vitam et regimen valde honorandum, omni respectu est dignus<sup>71)</sup>. Opinione magnae sanctitatis apud fideles affectum Nankerum non vivisse solum, sed etiam obiisse Heyne declarat, quin etiam istiusmodi opinionem post mortem episcopi per populum esse cultam. Qualiter episcopus fortissimum se praestitisset in defensione iuris ecclesiastici, inter omnes constare autor sua ex parte enuntiat, Nankerum praeterea pietatis exemplum fuisse ac par modo castitatis constantiaeque, zelosum in operando ac in orando, praeclarum virtutibus et abstinentia, die noctuque disciplinae ac simplicis vestitus adminiculo. Nonnullos huius episcopi adversarios protestanticae confessionis (autores nempe Cureus et Schickfus) unius tantum mendae Nankerum arguisse, quod enim ille indolis acerrimae causa nimis vehementer egisset. Tandem apud memoratum autorem Heyne legitur episcopum nudipedem una cum clero Nissae ecclesias frequentasse ac obiisse in sanctitatis opinione, quae etiam post eius mortem nequaquam interiisset<sup>72)</sup>.

<sup>68)</sup> G. A. Stenzel, *Urkunden zur Geschichte des Bisthums Breslau im Mittelalter*, Breslau 1845, 85—86.

G. A. Stenzel, *Geschichte Schlesiens*, Breslau 1853, 125.

<sup>69)</sup> F. W. Erdmann, *Beschreibung der Kathedral-Kirche ad St. Joannem und der Kirche zum heiligen Kreuz auf der Dominsel zu Breslau*, 1850, 11.

<sup>70)</sup> Cf. A. Mee, *Charakterbilder aus dem Clerus Schlesiens*, Breslau 1898, 149—198.

<sup>71)</sup> J. Heyne, *Dokumentirte Geschichte des Bisthums und Hochstiftes Breslau*, Breslau 1860. I, 799—800; 807.

<sup>72)</sup> Heyne, *Dokumentirte Geschichte I*, 807: „Der Ruf der Heiligkeit, den er im Leben genoss, blieb ihm auch nach seinem Tode.“

Colmarus Gruehnhausen, spectabilis rerum Silesia-carum scriptor, Nankeri pietate licet comprobata, tamen episcopum diplomatico modo agere et tractare inertem fuisse aestimat; eiusdemque vehementiam in agendo ac praesertim pietatem in quandam religionem vanam degeneratam (lingua germanica: „bigoteriam“ ut aiunt nominatam) esse reprehendenda<sup>73)</sup>.

Eodem modo iudicat Hermannus Luchs, scriptor rerum in specie articularum Silesiae: vehementiam agendi nimis magnam esse statuendam apud Nankerum<sup>74)</sup>.

Weiss tandem sibi habuit persuasum Nankerum quidem obiisse ratione frigoris, cum ecclesias visitasset, virum tamen pium ac imitatione dignum fuisse<sup>75)</sup>.

Operibus artis historicae saeculo XX<sup>0</sup> editis traditio quoad sanctitatem episcopi Nankeri nequaquam neglegitur, sed aliis testimoniosis amplificatur. Inter alios Johannes Chrząszcz, spectatus autor historiae et culturae catholicae in Silesia, definit Nankerum in opinione sanctitatis esse mortuum<sup>76)</sup>.

In opere Caroli Urbana fit mentio Nankeri, illius pii episcopi, qui pedibus ecclesias dioecesis frequentaverit<sup>77)</sup>.

Joseph Jungnitz († 1918), primus per multos annos vices gerens directionis in archivis dioecesanis et bibliotheca capituli Wratislaviensis, traditionem obitus Nankeri in statu sanctitatis facit ratam atque elevationis cadaveris ex tumulo die 15 martii 1719 factae commemorat<sup>78)</sup>.

<sup>73)</sup> C. Grünhausen, *König Johann von Böhmen und Bischof Nanker von Breslau*, Wien 1864, 78, 88.

<sup>74)</sup> H. Luchs, *Schlesische Fürstenbilder des Mittelalters*, Breslau 1872, 12.

<sup>75)</sup> F. G. A. Weiss, *Chronik der Stadt Breslau von der ältesten bis zur neuesten Zeit*, Breslau 1888, 212: „... der exemplarisch fromme Mann“.

<sup>76)</sup> J. Chrząszcz, *Kirchengeschichte Schlesiens*, Breslau 1908, 62.

<sup>77)</sup> K. Urbana, *Die Trojekirche bei Koschentin*, Oberschlesische Heimat, 7, 1911, 39.

<sup>78)</sup> J. Jungnitz, *Oberschlesische Bischöfe*, Oberschlesische Heimat 7, 1911, 90.

Johannes F i j a ł e k, clarus rerum scriptor ecclesiasticarum in Polonia saeculo XX°, memoriam Nankeri renasci fecit<sup>79)</sup>, quem praesulem fuisse diligentem sacerdotem polono- nico ortum genere in dioecesi Cracoviensi, „presbyterum vero electum“, scientiae amatorem<sup>80)</sup>.

In libro Casimiri D o b r o w o l s k i Nankerus inter optimos dioecesis Cracoviensis pastores medio aevo regentes aestimandus legitur<sup>81)</sup>.

Altera autem ex parte in libro Francisci Xaverii S e p p e l t, probati autoris historiam pontificum necnon rerum Silesiacarum describentis, radicem omnium difficultatum inter episcopum et regem Bohemiae vergentium exstisset in quadam contumacia ut aiunt „nationalistica“ Nankeri dictatur<sup>82)</sup>, quod dictamen rerum veritati respondere non videtur. Nam mediae aetatis tempore „universalitati christiana“ inser- videntis nec quicquam sic nominati „nationalismi“ haud dubie constabat. Secundum illius autoris sententiam amorem patriae semper laudabilem commixtum fuisse, quod spectat episcopum Nankerum, cum illa „nationalismi“ opinione notum est. E contra autem censeri potest Nankerum licet Polonum patriam ex corde diligentem „nationalismo“ haudquaquam esse infectum, quamvis res polonici populi in Silesia adversus callidos conatus politicos ab rege Johanne emanantes optimo iure defen- derit.

Annis ante bellum mundiale secundum per Thaddaeum S i l n i c k i in opere de historia ecclesiae in Silesia agente Nankerum tam prudenter ecclesiae servientem quam virum fuisse patriae Polonicae ex corde deditum affirmatur<sup>83)</sup>; epi-

<sup>79)</sup> J. F i j a ł e k, *Przeszłość Nankera biskupa Krakowskiego*, Księga pamiątkowa ku czci Bol. Orzechowicza. Lwów 1916. I, 257—282.

<sup>80)</sup> J. F i j a ł e k, *Najstarsze statuty synodalne Krakowskie biskupa Nankiera z 2 października 1320 r.*, Kraków 1915, VI.

<sup>81)</sup> K. D o b r o w o l s k i, *Dzieje kultu św. Floriana w Polsce do połowy XVI w.* Rozpr. histor. Tow. Nauk. Warsz. II, 2. 1923, 71.

<sup>82)</sup> F. X. S e p p e l t, *Geschichte des Bistums Breslau*, Breslau 1929, 35—36.

<sup>83)</sup> T. S i l n i c k i, *Dzieje i ustrój Kościoła na Śląsku do końca w. XIV. Historia Śląska*. Kraków 1939. II, 1. 212. S i l n i c k i, *Biskup Nanker*, Warszawa 1953.

scopo huic ecclesiam eiusque statum praeter omnia diligentem plane quodlibet compromissum fuisse repudiandum; praesertim naturae praesulis licet ascetice confirmatae tamen nimis directae defuisse quandam diplomatico modo agendi facilitatem: fortem quidem, sed non semper prudentem se praebuisse Nankerum<sup>84).</sup>

Dlugopolski episcopum vere ad sacerdotium electum, ecclesiae fideliter servientem, ascetice vivendi formanisum laudibus ornat<sup>85).</sup>

Ad finem nunc vergente hacce collatione testimoniorum vitam vere sanctitatem eminentem Nankeri censem, addatur dictum Thaddaei Madiński<sup>86).</sup> Quo teste Nankerum valde pium, asceticae vivendi formae, foventem pauperibus, quos in desertissimis Cracoviae partibus ac extra civitatem habitantes beneficiando consolandoque visitavisset, pluribus missis quotidie auditis optimo modo praesulis officiis functum fuisse dicitur.

Atque tandem Wladislaus Wicher iudicat in „*Polonia sacra*“ de sanctitate Nankeri: in eodem valde honorandam esse quandam pietatis ac ascesis coniunctionem cum profunda rerum theologicarum scientia<sup>87).</sup>

##### 5. DE SEPULTURA EPISCOPI NANKERI

Corpus episcopi Nankeri in Domino defuncti anno 1341 Nissa transportatum Wratislaviam in choro cathedralis ecclesiae ibidem sepultum est in quodam tumulo infra pavimentum collocato ac sepulturam episcopi Johannis III. Romka († 1301) in longitudinem annexo, dextra in parte summum altare versus (id est: ad cornu epistolae), circiter in medio choro. Quodquidem conditorum lapidibus coctis exstructum epitaphio se-

<sup>84)</sup> Silnicki, Dzieje 214.

<sup>85)</sup> E. Dlugopolski, *Wladyslaw Łokietek na tle swoich czasów*, Wrocław 1951, 255.

<sup>86)</sup> T. Madiński, *Biskup Nankier*, Wiadomości duszpasterskie 7—9. 1952, 285.

<sup>87)</sup> W. Wicher, Cześć oddawana biskupowi Nankierowi, *Polonia Sacra* 2, 1952, 160—162.

cundum goticum modum magni valoris artificialis facto est tectum, metris in longitudinem 2,45, in latitudinem 1,32 numeratis. Cuius in parte superiori tabulae figura aenea episcopi innecta ornamentis ac inscriptione etiam aeneis, in hexametri forma connexis verbis, est circumdata, his quidem ut sequuntur versibus:

„(pr)ESVL NANKERVS ELECTVS CRACOVIEN(sis)  
OCCIDIT HIC VERVS TRANSLATUS  
WRATSLAVIEN(sis) (!)  
MILLE TRECE(n)T(enis) ANNIS PRIMO  
QVADRAGENIS  
IN FESTO PASCHE (deu)S HV(n)C SVP(er) ETHERA  
PASCE“<sup>88)</sup>.

Anno 1719 cadaver Nankeri sublatum ex tumulo priori, ossibus repertis in nova arca clausa et obsignata collocatis, translatum fuit in novam sepulturam medio in altari in sacristia canonicali exstructo praeparatam, cui antependii loco tabula lapidea est inserta, haec verba exsculpta continens: „NANKERVS EPVS WRATISL OBIIT ANNO MCCCXLI IN HOC CHORO SEPULTVS“. Huiusmodi autem tabula iam anno 1677 in pavimento chori tum temporis in altum erecto ac lapidibus marmoreis renovato posita erat, ut hoc modo sepulta Nankeri una cum epitaphio nunc infra harenosa materialia superinfusa iacens recognosci posset<sup>89)</sup>. Ossibus cadaveris anno 1719 sublevatis conditorum in choro nunc vacuum non deletum, sed pristino epitaphio cum nova inscriptione translationem episcopi indicente de novo est tectum; cuius inscriptionis verba sequuntur: „AN(no) 1719 DIE 15 MART(ii) EX COM(mis-sione) CAPIT(uli) OSSA NANKERI EP(iscop)I FAMA SANC(titatis) ET FORTIT(udinis) ECCLES(iasticae) CONSPICVI HINC LEVATA ET ALIO TRANS(lata) VTI ACT(a) CAP(ituli) ANNO ET DIE VT SVPRA“.

<sup>88)</sup> Cf. L. B u r g e m e i s t e r, *Die Kunstdenkmäler der Stadt Breslau*. I., Breslau 1930, 195.

<sup>89)</sup> J. J u n g n i t z, *Erinnerungen an Bischof Nanker*, Schlesisches Pastoralblatt 28, 1907, 132—134.

Roberto Herzog principi-episcopo Wratislaviensi anno 1886 defuncto conditorum novum medio in choro cathedralis ecclesiae praeparabatur loco tumuli, in quo Jodocus episcopus (1467) erat sepultus. Necessaria ad hunc finem exfossione facta, epitaphia trium episcoporum adhuc perfusa sunt detecta; Jodoci scilicet, Nankeri ac Stephani praesulnis Lubucensis († 1343)<sup>90</sup>), qua occasione epitaphium Nankeri sublatum, et in ecclesiam sanctae crucis est transportatum, ubi hodiernum usque diem exstat, figura quidem aenea iam anno 1908 dissoluta<sup>91</sup>).

Tempore ecclesiae cathedralis Wratislaviensis ex ruinis belli renovandae complura conditoria eorum episcoporum, qui in quadam chori parte funditus effossa erant sepulti, detecta sunt; ossa autem reperta novo in tumulo apud communem sepulturam canonicorum sito condita sunt. Laboribus huiusmodi durantibus etiam conditorum episcopi Nankeri vacuum, uti erat ab anno 1719, inventum et cum aliis istiusmodi sepulturis episcopalibus omnino est deletum<sup>92</sup>).

#### 6. DE PICTIS AC FICTIS NANKERI IMAGINIBUS

Hacce commentatione quoad Nankeri imagines tam pictas quam plastico modo fictas brevi quidem, quod attinet huius episcopi quamlibet „sanctitatem”, tamen monumentis eiusmodi exstantibus persona Nankeri nonnullis luminibus potest irradiari.

Leopoldus Sigismundus F r a n k e n b e r g decanus capituli Wratislaviensis († 1731) occasione cadaveris sublati ac translati iam supra memoratus, memoriae istius praesulnis tam

<sup>90</sup>) Cf. Ig. P o l k o w s k i, *Wspomnienia z Wrocławia*, Przegląd powszechny 17. 1888, 117—118. — J. Ju n g n i t z, *Die Grabstätten der Breslauer Bischöfe*, Breslau 1895, 6—7.

<sup>91</sup>) P. B r e t s c h n e i d e r, *Die Grabsteine der Bartholomäuskrypta und des Kreuzkirchhofes zu Breslau*, Archiv für schlesische Kirchengeschichte 6, 1941, 105.

<sup>92</sup>) Cf. W. U r b a n, *Katedra Wrocławska*, Wrocław 1951, 32—33.

bene meriti posteris tradendae etiam alio modo dedit operam<sup>93)</sup>. Qui enim in sessione capituli die 1 iunii 1723 habita retulit seipsum honorem duorum praesulum piorum, Godefridi scilicet et Nankeri, quibusdam epitaphiis in cathedrali ecclesia erigendis fore aucturum constituisse, de quo consilio capitulum grato animo erat contentum<sup>94)</sup>). Haec autem epitaphia, posteaquam Johanne Georgio Urbański artifice materialibus cum marmoris tum alabastri anno 1732, suprannominato decano iam defuncto, ad finem constructa in duabus columnis portae maiori ecclesiae cathedralis proximis fuerunt affixae continent effigies cuiusque episcopi una cum comitatu et quidem opere caelato formatas.

In tabula Nankero dedicata illud temporis momentum conspicitur, quo episcopus canonicis sibi fidelibus circumstantibus regem Bohemiae in ecclesia sancti Jacobi Wratislaviae sita excommunicaverit. Cuius tabulae in partibus ambae virginis, pietatem scilicet ac fortitudinem demonstrantes, supra eiusmodi tabulam arma Nankeri „Oksza“, infra curriculum vitae continentur, in cuius textu illa verba: „...probitatis et fortitudinis ecclesiasticae exemplar fulgidissimum“ permagni momenti esse videntur<sup>95)</sup>). Hoc monumentum denique ex rui-

<sup>93)</sup> J. Jungnitz, *Die Prälaten und Kanoniker des Breslauer Domkapitels aus dem Geschlechte der Grafen, Freiherren und Herren von Frankenberg*, Breslau 1908, 4.

<sup>94)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. III b 19. Acta Capituli 1722—1726.: „Rvmus D. Decanus refert aliquem benefactorem adesse, qui erigere intendat memoriae duorum piorum Episcoporum Godefridi et Nankeri, et quidem in loco, ubi Rvmi D. Gebauer et R. Dni Fersii epitaphia de facto exstant, collocata velit...“

<sup>95)</sup> Sequitur supra memoratae tabulae textus: „D. O. M. Aemulus hic lapis alteri e regione posito per omnia similis non absimilem in virtutibus exhibet Episcopum, Nankerum nomine, probitatis et fortitudinis ecclesiasticae exemplar fulgidissimum. Hic enim nobilis Silesiae Superioris patriota, postquam anno 1326 ex Cracoviae cathedra ad hanc Wratislaviensem postulatus esset, talem in hoc fastigio episcopali vitam exegit, quam alias piissimi quique Praesules agere consuevere. Totus erat in templo, totus in accurandis decore Divinis, in pauperibus sublevandis, in atterendo corpore ieuniis et flagellis, totque aliis pastoralibus dotibus sic praestabat, difficile ut sit statuere, quid primum magnopere debeat in tam bono pastore depraedicari. Hoc certe habuit eximum, quod in tuendis Ecclesiae iuribus non dubitaverit pro amore iustitiae

nis ecclesiae cathedralis Wratislaviensis anno 1945 feliciter servatum quoad nonnullas comitatus regii personas tantum le-viter laesas per sculptorem Łukasiewicz anno 1952 est re-stauratum.

Similem autem quod attinet vultum episcopi Nankeri imaginem mitra pontificali ornati continet medium saxum arcus forniciati in ecclesia sancti Adalberti Wratislaviae sita, quam Nankerus die 24 septembries anni 1330 benedixerat<sup>96)</sup>.

Ossibus Nankeri, ut supra dictum est, anno 1719 requisitiis etiam annulus aureus onice ornatus inveniebatur, de quo in ecclesiae cathedralis inventario continetur sub titulo: „annu-lus venerabilis Nankeri“<sup>97)</sup>, qui circa finem belli anno 1945 est perditus.

Item inter alia Nankero dedicata monumenta quoddam chalcographon ab supramemorata tabula per artificem Urbánski confecta excommunicationem regis continente deprop-

quaevis discrimina subire, cuius apostolici animi sui illustre dedit do-cumentum, quando propter eandem iustitiam defensam in Polonia cae-sus est alapa a Wladislao Secundo Rege; hic vero in Silesia propinato veneno vita privatus; nam dum Joannem Bohemiae Regem ex eo, quod Ecclesiae huius castrum Militsch vi occupaverat, anathemate percussisset, clam veneno iussu, ut ferebatur, eiusdem Regis graviter offensi extinc-tus est. Et hocquidem anno 1341 die decimo aprilis, quae in Feria Pa-rasceves inciderat, Nissae contigit, ubi peracto pontificali Officio ritu solemni, cum visitasset omnes civitatis ecclesias nudis pedibus, domum reversus sancto illo die sancte animam exhalavit. In cuius felicissimo egressu auditus est angelicus concentus, festivum gloriae eius aeternae praesagium certumque argumentum. Unde merito post mortem corpus defuncti Nissa translatum et in hac Cathedrali ad instar pretiosissimi thesauri reconditum fuit. Ut igitur virtuti debitus honor etiam in cine-ribus reddatur, vere dignum et iustum est, tanti Praesulis memoriam ob res pro Deo et Ecclesia tam pie et tam fortiter gestas, publico isthoc ampliore elogio condecorare.“ — Cuius textus verba etiam inveniuntur in quodam manuscripto anni 1729: „Monumenta publica nova et vetera in cathedrali“ Sti Joannis et collegiate Stae Crucis Ecclesia Wratisla-viae reperibilia“ (Archiv. Archidioec. Wratisl. II a 5), typis excussa autem in libris: E r d m a n n , *Beschreibung der Kathedral-Kirche 134—135*; H. H o f f m a n n , *Der Dom zu Breslau*. Breslau 1934, 64—65.

<sup>96)</sup> C. Blasel, *Geschichte von Kirche und Kloster St. Adalbert zu Breslau*, Breslau 1912, 10.

<sup>97)</sup> Inventarium über sämtliches, bei der Cathedrale ad St. Joan-nem zu Breslau befindliches, bewegliches Eigentum.

tum<sup>98)</sup>, etiam in titulo libelli vitam Nankeri autore Andrea Jochelson desribentis depictum enumeretur<sup>99)</sup>.

In porticu claustrī Ordinis Fratrum Minorum Cracoviae siti conspicitur quaedam imago al fresco picta episcopum Nankerum sedentem ostendens, mitra ornatum, manibus dextra quidem tenentem baculum pastoralem, sinistra autem librum, armis „Oksza“ infra tabulam collocatis. Quae pictura circiter ad medium saeculi XV-i confecta vetustissima imago episcopi potest putari<sup>100)</sup>. Hodie tempore imago Nankeri iuxta modum istius picturae Cracoviensis per artificem K. P o c h w a l s k i anno 1952 perfecta in exteriori muro sacristiae canonicalis ab episcopo Nankero constructae summum altare ecclesiae cathedralis Wratislaviensis versus est appensa.

In pristino archidioecesis Wratislaviensis Seminario clericali „alumnatus“ nominato, flammis anno 1945 exusto, et quidem in prima domus contabulatione, imago picta Nankeri cum brevi descriptione illius apposita ac titulo „Venerabilis Nankerus“ conspiciebatur, nunc etiam combustione deleta, picta autem tempore Eliae Danielis Sommerfeld episcopi auxiliaris (1714—1742), qui seriem imaginum sacerdotes dioecesaneos bene meritos quasi exemplum bonum clericis presbyteratum ambientibus praebentes in naturali mensura demonstrantium fecit confici<sup>101)</sup>.

In epigraphica non solum artibus, sed etiam sphragistica Nankeri memoria traditur. Qui uti praesul Cracoviensis anno 1320 cathedralē ecclesiam in Wawel ibidem sitam incipiendo renovandam<sup>102)</sup>, fundatus erat capellam in honorem sanctae

<sup>98)</sup> Reproductio cum subscriptione: „Bischof Nanker von Breslau thut den König Johann in den Bann i. J. 1339“ invenitur in libro: M e n z e l, *Topographische Chronik von Breslau* 104—105.

<sup>99)</sup> A. J o c h e l s o n, *Świątobliwy Nankier*, Wrocław 1948.

<sup>100)</sup> Imago episcopi Nankeri supra memorata una cum similibus episcoporum Johannis Grot et Petri Falkowski reproducta est in libro: K. S. R o s e n b a i g e r, *Dzieje kościoła OO. Franciszkanów w Krakowie w wiekach średnich*, Kraków 1933, nr 50..

<sup>101)</sup> H. Hoffmann, *Die Geschichte des Breslauer Alumnats*, Breslau 1935, 99—100.

<sup>102)</sup> Cf. T. W o j c i e ch o w s k i, *Kościół Katedralny w Krakowie*, Kraków 1900, 16, 210—212.

Margarethae ipsiusmet sepulturae inservientem<sup>103)</sup>). Gratam autem istius renovationis per Nankerum coeptae recordationem verba inscriptionis sub porta in parte ecclesiae minori factae retinent, quae sequuntur: „D.O.M. B.M.V. SS. Patronis Ecclesiam Hanc Igne Absumptam Nankerus Silesius Epus Crac. In Hanc Forman Restituit. Reliqui Postea Successores Epi Et Capitulum Cum Ex Communi Tum Vero Quidam Ex Privato Censu Adornavere. A. D. MCCCXX“<sup>104)</sup>.

Quod attinet sigilla Nankeri nunc temporis existentia, in eisdem figura episcopi in throno sedentis conspicitur, pontificalibus mitraque vestiti, dextra manu in altum erecta, sinistra autem baculum tenentis; utraque in parte arma „Oksza“ ac in circuitu throni duo canum capita fidem illustrantia continentur; in circumscriptione autem sigilli nomen episcopi Nankeri legendum est.

Quoddam documentum ecclesiae sancti Andreeae Cracoviensis, die 3 octobris 1320 datum sigilloque episcopi hac sequenti forma: „S. Nankeri Dei gracia episcopi Cracovien.“ firmatum permagni esse momenti videtur, quia magnam Nankeri venerationem erga sanctum Stanislaum Szczepanowski antecessorem testificatur, cuius in tutamen ille ingrediens episcopatum se contulisset. Quodquidem factum etiam in libro Joannis Fijałek<sup>105)</sup> commemoratur, item veneratio Nankeri erga sanctam Margaretham, cuius in honorem augendum capella eiusdem tituli in cathedrali ecclesia Cracoviensi fundata esset.

In archivis archidioecesanis Wratislaviensibus exstat quoddum documentum de die 23 deecmbris 1334 cum sigillo Nankeri, quo demonstratur, quantopere episcopus sanctum Joannem Baptistam patronum ecclesiae cathedralis necnon dioecesis Wratislaviensis veneratus sit. Nam hoc in sigillo figura sancti Johannis Baptiste in quodam arcu conspicitur, cuius in

<sup>103)</sup> Wojciechowski, Kościół, 212.

<sup>104)</sup> Cf. M. Hanki, *De Silesiis indigenis eruditis*, Lipsiae 1707, 73.

<sup>105)</sup> J. Fijałek, *Przeszłość Nankera biskupa krakowskiego (1320—1.X.1326), następnie wrocławskiego († 10.IV.1341)*, Lwów 1916, 259, 268.

partibus cum arma episcopatus Wratislaviensis — sex liliae in scuto — tam etiam arma „Oksza“, infra autem figura Nankeri genuflectentis se continent, circumscriptione quidem partim diruta, partim adhuc legenda verba“... Nankeri Epi Wratislavien.“ complectente<sup>106)</sup>.

#### 7. DE STATU PROCESSUS QUOAD BEATIFICATIONEM NANKERI NUNC TEMPORIS DE NOVO INCHOANDI

Posteaquam anno 1945 iurisdictio ecclesiastica in totius Silesiae regionibus devenit ad regimen hierarchiae Polonicae, memoria eximii episcopi Nankeri revalescebat, honore istius propugnatoris populationis polonicae in Silesia medii aevi etiam ludis dramaticis aucto. Sequenti iam anno (1946) sacro-sanctae missae sacrificium in honorem huius praesulis praesente. Seminario parvo in capella Beatae Mariae Virginis cathedrali ecclesiae Wratislaviensi tunc temporis ruinosae annexa celebratum est. Curia metropolitana Wratislaviensis libellos edi fecit, quibus fideles Poloni de vita virtutibusque illius paeclari praesulis fierent certiores<sup>107)</sup>.

Auctore moderno Ordinario archidioecesis Exc. mo ac Rev.mo Dno Casimiro Lagosz Vicario Capitulari Wratislavensi, omnia ad conficiendum beatificationis processum apta sunt instructa; die 27 aprilis 1952 specialis cultus ratione beatificationis processus inchoandi non solum in cathedrali ecclesia Wratislaviensi nunc de novo reaedicata<sup>108)</sup>, sed etiam iussu eiusdem Ordinarii in omnibus archidioecesis ecclesiis fuit peractus. Quoque in anno et quidem Dominica II-a post pascha „Bonii Pastoris“ nominata celebrantur cum praedicatione speciali preces in effectum Nankeri episcopi Cracoviensis ac Wratislaviensis, vere servi Dei, propediem beatificandi<sup>109)</sup>.

<sup>106)</sup> Archiv. Archidioec. Wratisl. AA 32.

<sup>107)</sup> A. Jochelson, *Świątobliwy Nankier*, Wrocław 1948. — W. Urban, *Echa kultu biskupa Nankiera w diecezji wrocławskiej*, Wiadomości kościelne 3—4, 1949.

<sup>108)</sup> Słowo Powszechnie 98. 1952. — Tygodnik powszechny 20. 1952.

<sup>109)</sup> Sequitur oratio ratione beatificationis in tabula infra imaginem Nankeri in cathedrali ecclesia Wratislaviensi appensam scripta,

Postremo mense novembris 1952 specialis commissio ab Ordinario praenominato est instituta, quo ex fontibus historicis colligantur omnia ad beatificationis causam attingentia.

#### 8. CONCLUSIO

Quod attinet explicandam episcopi Nankeri personam, supraescriptis testimoniis secundum ordinem historicum datis: Nankerum se praestitisse excellentem animarum pastorem tam Cracoviae (1320—1326) quam Wratislaviae (1326—1341) haud dubie demonstratum est. Qua praesul Cracoviensis statutis synodi dioecesanae anno 1320 habitae moribus fidelium et corrigendis et amplificandis maximam dedit operam Nankerus; regimine utriusque dioecesis episcopum invicto animo permultum propugnasse pro iuribus cum divini tum ecclesiastici ordinis defendendis inter omnes constat. Quem episcopum etiam in vita privata eluxisse pietate ac clementia, veneratione beati Stanislai Szczepanowski, humilitate maximaque abstinentia ex fontibus est traditum. E contra Nankerum sane animo nimis pertinaci vehementique fuisse videtur, qua de causa perseverantia summo in gradu animique pertinacia evenerunt.

---

huius quidem textus: „Deus, qui nos in Tua misericordia dignatus es adiuvare exemplo fidelis servi Tui, episcopi Nankeri, concivis nostri: largire nobis clementer eo intercedente gratias, quas humiliter deprecamur. Doceas nos, quaesumus, imitari eiusdem amorem ac voluntatem in Tuo servitio et zelum fortitudinemque, ut debito honore maiestatem Tuam decenter afficiamus. Ad maiorem Tui gloriam et redemptionem animarum nos intercessione eiusdem coelesti exaudire digneris, ut proximis temporibus publicus honor eidem tribuatur”. — In sic nominato autem Directorio dioecesano: Ordo Divini Officii recitandi sacrique peragendi ab universo clero Archidioecesis Wratislaviensis et Dioecesis Gorzoviensis pro Anno Domini 1953, leguntur pag. 42: „Sacerdotes Archidioecesis Wratislaviensis meminerint in Dominica BONI PASTORIS Venerabilis episcopi Wratislaviensis NANKER († 1341) doceantque fideles de eiusdem vita ac virtutibus”.